



Prot. N. 1353/22/I

## DECRETUM

*PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev.do Gerardo Francisco Timoner III, Magistro Generali Ordinis Fratrum Praedicatorum, occasione sollemni in honorem Sancti Thomae Aquinatis celebrationum quae, a die XXVIII Ianuarii MMXXIII usque ad diem XXVIII Ianuarii MMXXV peragentur, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si quodlibet templum Ordini Fratrum Praedicatorum ubicumque spectans, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis et Sancti Thomae Aquinatis.*

*Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si coram aliqua Sancti Thomae Aquinatis imagine iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.*

*Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes ex Ordine Fratrum Praedicatorum, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.*

*Praesenti pro hac vice tantum Sancti Thomae Aquinatis valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.*

*Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XX mensis Ianuarii, anno Domini MMXXIII.*

*Maurus Card. Diacenus  
Paenitentiarum Vicarius*

*Christophorus Nykied  
Secretarius*